

*28. Instrumentum permutationis
di Matteo Zappa in favore del
notaio Roberto de Lacupensuli*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali

sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

*28. Instrumentum permutationis
di Matteo Zappa in favore del
notaio Roberto de Lacupensuli*

1313-03-13

Anno dominice incarnationis millesimo tricentesimo tertio decimo, regnante domino nostro Roberto Dei gratia gloriosissimo rege Hierusalem et Sicilie, ducatus Apulie et principatus Capue, Provincie et Forcalquerii et Pedimontis comite, regnorum vero eius anno quarto feliciter amen, die tertio decimo mensis martii, undecime inditionis, apud Potentiam.

In presentia iudicis Gullielmi Cumbi iudicis civitatis ipsius, Petri Salientis publici eiusdem terre notarii et testium subscriptorum litteratorum de eadem terra, ad hoc specialiter vocatorum et rogatorum, presentium notumfacimus <sic> et testamur <sic> quod Matheus Zappa, civis et habitator Potentie, vendidit et tradidit notario Roberto de Lacupensuli, habitatori Potentie, duas petias terrarum sitarum in tenimento Potentie in diversis locis; prima petia terre est sita iuxta vallonem mancile ditti notarii Roberti, in loco ubi dicitur Machia de Gallinariis, hiis finibus circumdatas <sic>: ab uno latere tenet idem notarius Robertus, a secundo latere tenet magister Girardus de Garruba, a tertio latere tenet Ioannes Rubens de Santo Blasio; secunda petia terre est sita in contrata Malamulieris, cuius fines sunt hii: a primo latere tenet dittus notarius Robertus; a secundo latere tenet ecclesia Santi Ioannis; a tertio latere tenet dittus magister Iacobus de Garruba; a quarto latere est via publica et si qui alii sunt confines, cum omnibus accessionibus et ingressionibus suis ditto notario Roberto vendidit et tradidit ut dittum est. Pro quibus terris presentialiter recepit ab eo nomine pretii tarenos viginti quatuor, totum videlicet pretium ipsius venditionis, quapropter dedit et tradidit tam eidem // (c. 259v) notario Roberto quam heredibus eius liberam et

omnimodam potestatem tenendi, possidendi, vendendi, donandi, permutandi, nec non et quocumque modo voluerint alienandi terras predittas; insuper repromisit eis et heredibus suis eas defendere et guarentire contra omnes homines qui eum vel heredes suos de dittis terris molestare vel inquietare temptaverint more iudiciorum. Et si prefatus venditor vel sui heredes vel aliquis per eos vel suos heredes contra predittum notarium Robertum vel suos heredes de predittis terris aliquo tempore venerint vel eas deinceps calumniati fuerint seu per quemlibet <sic> ingenium eas ab eis repetere vel subtrahere quesierint aut eas ab eis defendere et guarentire ab omnibus hominibus, ut supra dictum est, noluerint more iudiciorum, debeant componere augustales auri quatuor, medietatem ditto emptori vel suis heredibus et alteram medietatem regali curie, me preditto notario pro parte ipsius curie penam ipsam legitime stipulante, venditione preditta nihilominus perpetuo permanente. Preterea guadium sibi dedit et ad maiorem cautelam iuravit dittus venditor ad santa Dei evangelia corporaliter tatta numquam contra presentem venditionem venire, in iudicio vel extra, de iure vel de fatto, sed eam defendere et guarentire ut superius dictum est et expressum.

1

2

3

Così S per presenti scripto

Così S per? macle

Così S qui, sopra Girardus

Quod scripsi ego qui supra predittus Petrus Saliens
publicus ditte civitatis notarius quia prescriptis interfui
et meo signo solito signavi. † Ego Gullielmus Cumbus
qui supra regius Potentinorum iudex // (c. 260r) † Ego
abbas Andreas Saliens interfui